



FRAGMENTUM

Quod in veteri codice Ecclesie trevensis continente collectiones Cresconii & Ferrandi repertum est, cum titulo hinc affixo.

EX EPISTOLA AD CLASSICIANUM
qui excommunicatus fuerat.

Ego propter eos, qui pro peccato unius animæ, totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maximè ne ibi quisquam sine baptismo de corpore abscedat; & utrùm non etiam de Ecclesia pellendi sunt, qui eò confugiunt quò fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, & in concilio nostro agere cupio, & si opus fuerit ad sedem apostolicam scribere; ut in his causis quid sequi debeamus, concordiam omnium auctoritate constituatur, atque firmetur. * Illud planè non temere dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematus injustè, ei potius oberit qui faciet, quàm ei qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli poenam ingerit: per eum quippe diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ non agit perperam.

* Habent
Ansel. Luc.
lib. 12. c.
66. & Gra-
rian. caus.
II. q. 3.
c. 87.

EPIS-



EPISTOLA XXI.*

Augustinus in presbyterum hipponensem ordinatus, præsertim ad dispensandum verbum Dei, secumque reputans, quàm difficile sit sacerdotem pium agere, obsecrat Valerium ut patiatur ipsum in secessu precibus & studio hoc agere, ut sit idoneus imposito muneri.

* Aliàs
CXLVIII.
quæ autem
21. erat,
nunc 234.

Domino beatissimo & venerabili, in conspectu Domini sincera caritate carissimo patri VALERIO episcopo, AUGUSTINUS presbyter in Domino salutem.

I. ANTE omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore * facilius & lætius, & hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum (nam quid aliud existimem nescio) ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

Scripta
ann. incun-
te 391.
* Fortè
felicitis.

Episco-
pi officium
quàm per-
iculosum.

Sed